



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

11. Maji. Angelos in juvandis proximis oportet imitari, qui in procuranda hominum salute nullum prætermittunt genus industriæ, ex successu autem, quiscunque sit, nihil beatæ suæ, æternæq[ue] pacis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

II. Maji.

*Angelos in juvandis proximis oportet imitari, qui in procuranda hominum salute nullum prætermittunt genus industria, ex successu autem, quiscunque sit, nihil beata sue, aternæq; pacis amittunt. S. Ignat. apud Ribaden. l. 5, c. 11.*

**S**I nunc irritus viderur cecidisse conatus, fortè dabit fructum in tempore: De nullius etiam pessimi salute desperandum, quàm diu vivit, & spirat, viator manet. Quod unus, vel alter non potuit conatus, tertius efficiet. Curam Deus præcepit, non curationem proximi. Seminare nostrum est, Deus est, qui dat incrementum.

Si infra desiderium cadat eventus, cadendum non est animo; præmium non deerit, quod Deus voluntati, non operi, conatui, non successui, præparavit.

Si fructus longo labore partus, & in spem egregiam largo sudore educatus repente fortè turbine convulsus momento pereat, te non perdas. Adora fines Dei, tibi ignotos, tuis tamen meliores.

Si centesimus operæ fructus respondeat, & hinc partem mercedis accipis, sola

latium laboris; hoc ut laborem, ita & meritum imminuit.

12. Maji.

*Malo Dei servos virtute prestare, quam numero, & re magis ipsâ, quàm nomine cultûque distingui. S. Ign. in Hist. Soc.*

**M**agni exercitus magnis cladibus sunt obnoxii. Virtus non in cunctis, sed in fortitudine, hæc non in numero, sed in animo consistit. Ut sol unus mille stellis amplius lucet, ita fortis unus præ multitudine fungis robur alit.

Ipsâ copiâ res vilescunt, & facilè fatiditatem, imò contemptum parit, quod obsequium, & semper est ad manum, Raritas pretium facit.

Multitudo sibi met gravis, prona est ad confusionem; facilè unus officit alteri, qui auxilio esse debebat, fit impedimento.

Non semper meliùs fit, quod à pluribus; quod in commune curatur, in communi negligitur. Plures Medici pejùs curant, Eunt in diversa, sæpe contraria consilia; perplexum citiùs faciunt, quàm sanum. Tu talis esse conare, ut sis unus pro mille.